



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Curiositas secundum diuersa obiecta dici potest vitiosa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

102      **Correctio fraterna.**

casu quo creditur opus esse illius correctione ad liberandum à peccato mortali, & probabiliter creditur liberatio inde futura: quia tunc quantum sit formaliter contra præceptum correctionis fraternæ, veniale autem quum vel materialiter omittitur, nisi emer gens dampnum in mortali naturam reduceret, ut dictum est (materialiter autem omittit quicunque in animo fraternali charitatis bonum proponens qui buscunq; bonis & malis mundi, omitti: quoniam talis non intendit subtrahere bonū necessariū ad salutem proximi:) vel in aliis non mortalibus omittitur.

Nec mireris, quod in hoc præcepto diximus requiri probabilem opinionem de fructu correctionis: quoniam corrector tenet locum agentis, & corrigendus patientis: actus autem actiūorū fiunt in paciente bene disposito. Et propterea, sicut oportet correctorem non ex voluntate, sed ratione accipere tempus, & locum, & alias occupationes & dispositiones corrīgendi: ita non ex voluntate, sed ratione debet habere, si est fructuose susceptius suæ correctionis: quod est habere probabilem opinionem de futuro fructu.

*Crudelitas excessiva peccatum est.*

**C**rudelitas (hoc est atrocitas animi in poenis exigendis) hoc est mortale pro quanto excessum in puniendo ponit, crudelis enim causam puniendi habet: sed modum non habet, peccatque manifeste contra proximum, plus puniendo quam mereatur: ultra malam dispositionem proprii animi, qua seipsum foedat crudelitate.

*Curiositas secundum diuersa obiecta  
dici potest virtiosa.*

**C**uriositas, cum immoderatum ponat appetitum cognoscendi sive per intellectum sive per sensum,

sum, peccatum est: quia plus quam recta ratio dictat,  
appetitum cognoscendi protrahit. Non est autem  
mortale peccatum: si nuda sit, hoc est nisi ex adiuncto  
fatu mortalis, ut si curiositas intantum exorbitet, vt  
dæmonibus vti velit magistris, vel ad periurium seu  
perfidiam inducere velit habetem aliquid in secreto,  
& sic de aliis, quæ possunt adiungi criminibus trahen-  
tibus curiositatem ad peccatum mortale.

*Decimarum non solutio perniciofa sa-  
crilegium reputatur.*

**D**ecimas soluere omittens ubi consuetum est  
solui, peccat mortaliter peccato sacrilegii: quia  
non reddit debitas res Ecclesiæ, cui tenetur reddere  
de necessitate salutis, constat enim hoc ex suo gene-  
re esse peccatum mortale, & sacrilegium, nisi propter  
imperfectionem actus, vt in aliis contingit. Vbi au-  
tem non est consuetum solui decimas, non peccat o-  
mittens soluere, salua tamen cura pastoris sui, vt ha-  
beat unde viuat honestè, si non habeat redditus un-  
de viuere, secundum quod sibi congruit, possit: quia  
ad hoc pro sua rata quilibet ei subditus tenetur, nulla  
ipsi consuetudine suffragante.

*Defensio manualis immoderata, vi-  
tiosa est, moderata vero per-  
mittitur.*

**D**efensio manualis illicita dupliciter redditur. Primo,  
ex intentione, si scilicet, animo lædendi of-  
fensorem fit. Nam defensio debet esse suo fine con-  
tentia, scilicet vt defendat: præter intentionem de-  
fendentis, si aliter non potest defensio fieri, nisi læda-  
tur inuasor, debet illū lædere: ita quod læsio sequatur  
*ex necessaria defensione.* Et hinc peccat mortaliter,

G 4 quā